


1850

1878





8500.

52

1678, 9

21

ADSISTENTE
UNICO SACROSANCTÆ & INDIVIDUÆ
TRINITATIS
PRÆSIDIO.

Ex Decreto & Auctoritate

Magnifici & Nobilissimi

JURISCONSULTORUM
IN ALMA GISSENSIUM UNIVERSITATE
COLLEGII.

HANC DE

PERICULI
PRETIO,

ad l. 5. ff. de Nautico Fœnore

CONSCRIPTAM DISSERTATIONEM

Pro LICENTIA

Summos in utroque Jure HONORES & PRIVILEGIA

DOCTORALIA ritè & legitimè capessendi,

Publicæ ac solenni

PROCERUM ACADEMICORUM CENSURÆ SUBMISSAM

Ad diem XXV. Julii Ann. 1678.

IN AUGUSTO JURISCONSULTORUM AUDITORIO

Tuebitur

CAROLUS GUSTAVUS VEGESACK,
HAMBURGENSIS.



GISSÆ, ex OFFICINA Joh. Eberhardi Petri & Christ. Liebensteini.



Eminentissimi
DNN. CONSULES, SYN-
DICI, SENATORES ET
SECRETARII,
PATRIÆ PATRES.



Udax videri posset
hoc dedicationis meæ fa-
cinus, si sola illud consue-
tudo tueretur. Nunc cū
& pietas erga patriam &
veneratio ad Vos ejus Pa-
tres, & otii academici red-
denda ratio me obliget, ut
Illustri vestro Nomini, hoc quidquid est specimi-
nis Academici propriū dedicē, neq; intermittere
sanè illud debui, nec volui declinare. Fateor sanè
non necessarium Vobis opus moliri me, dum qua
de re velut in tenebris mico, eam SENATUS Vester
quotidianis rerum experimentis in claro lumine
positis & perspicit penitissimè & prudentissimè
dispicit. Quid n. aliud in tantare quam balbutio
ipse? Necessaria tamen mihi fuit hæc dedicatio,
ut affectus erga me vestros si nondum merui (&

qui vero poteram?) hoc ipso periculo Academico, si pote, in me derivem: Aut si quadantenus forsitan vestra gratia immeritū antevenerit, vel hac ratione conservem: si modo pollicitando debitor mereri aliquid possit. Debitum enim est quod offero, nō solvo. Et pollicitando magis id constituo & augeo. Quod si acceptum tamen vobis fuerit, cū longè infra dignitatis vestræ gloriam sit, hoc ipso, vestra me amplius obstringet gratia; sive indigna est benivolentiâ vestrâ, hæc qualis qualis oppella, hoc magis sentio reū debendi me morâ reddi: At verò cum ea sit vestræ felicitatis magnitudo, ut deterere debitoris facultates non desideret, enixè atq; obnoxie rogo, ut serena fronte hoc quidquid est, accipientes, in posterum similiū obsequiorum vobis spem reserveris. Erit enim hæc, si impetra vero, gratia, in novæ, qua Vobis teneor, obligationis auctoramentum. Sic DEUS Vos, beneficiis vestris in studia conferendi, & mihi & literis diutissimè servet. Me verò, humilem clientem vestrum, his agnoscendis & dignè promerendis ætatem obsequiosum reddat

*Dabam GISSÆ d. 15. Julij
Ann. 1678.*

CAROLUM GUSTAVUM VEGESACK.





ΣΤΝ ΘΕΩ.

CAPUT I.

Exponit quid pretium?

I.



Acturus de periculi pretio, cuius Scævola meminit in *l. 5. ff. de naut. foen.* & quid sit pretium, & periculum quid sit, dicendum est. Dicitur itaque pretium generaliter omne id, quodcunque rem æqualitate quantitatis seu valoris æstimat, ejusque utilitatem meretur, quo ve res cara est. Sic majoris pretii ager. *Terentio Heaut.*

Pretium quid significet.

l. 1. 12. Ita accipitur in emptione, venditione, & contra distinguitur merci. *l. 1. pr. ff. de contr. emt.* Cujus caritatis causas quibus pretium vel augetur vel minuitur, recenset Magnif. Dn. Antecessor Nitzschius, in elegantissima sua inaugurali de æstimatione *c. 7. p. 41.* Deinde pro qualibet compensatione & *ισοπέποιμα*, ut pretium stultitiæ, *Terent. Andr. 3. 5. 4.* Pretium moræ, *Stat. II. Theba 16.* Pugnæ pretium conjux dicitur. *Ovid. 9. Metamorphos. 10.* Sceleris pretium, *Juven. Sat. 13.* Sic operæ pretium, manus pretium, curæ pretium. Ita hoc loco periculi pretium est pensatio, æquatio, mensura, certo pretio facta pro aversione periculi, quod creditor suscipit in sese, cum ex Regula Juris debitoris futurum erat.

A 3

II, Hanc



An olim
præstatio
pretii pro
periculo a-
verso ufi-
rata.

Exempla
duo, alterū
ex Livio.

Alterum
Suetonii.

II. Hanc præstationem pretii pro periculo averso olim vix cognitam fuisse vult Grot. *de jure belli* 2.12.3. sed vix persuadet. Ita enim Jcti nostri de periculi susceptione seu aversione loquuntur, ut satis superque cognitam fuisse, necesse sit. Neque jura de his, quæ ἐκ τῶν λόγων, sed quæ ἐπὶ τὸ πλείστον constituntur l.3. & τὸ ἀπαξ ἢ δις τῶν βαίνουσιν αἰ νομοθέτου, ut ait ex Theophrasto Paulus l.6 ff de LL. Quo facit etiam quod Livius refert lib.23.c.48. Cum bello Punico secundo post Cannensem pugnam Scipiones ad bellum Hispanicum continuandum pecuniam in stipendium vestimenta; & frumentum exercitui & sociis navalibus poscerent à Senatu, & hos qui redempturis auxissent Patrimonia, nempe Publicanos, hortaretur Senatus, ut reipublicæ ad tempus commodarent, redimerentque suo ære Hispaniensi exercitui necessaria, hâc repromissione, ut cum primum pecunia in ærario esset, iis primis solveretur; Hi publicani postulabant, ut quæ in naves imposuissent, ab hostium tempestatisque vi publico periculo essent. Quod quid aliud est, quàm periculum pecuniæ trajectitiæ rerumque; navi illatarum in sese recipere. Publicani scilicet erant debitores reipublicæ, vectigalibus conductis, hoc pacto, ut quicquid ex redemptura acquisiverint, exercitui præstarent, si res publica creditrix periculum hostium ac tempestatis in se reciperet. Habetur eadem historia apud Val. Maximum lib.5.c.6. Et laudantur iidem Publicani apud Livium lib.34.in oratione L.Valerii. vid. Gronovium, *civem meum, Criticum nostri seculi felicissimum*, observ. lib.4.c.23. Simile est quod Imperator Claudius apud Suetonium Claudio c.18. Negotiatoribus constituit, ut rectè observat Loccenius de jure maritimo lib.2.c.8.num.2.

CAPUT II.

De Periculo in genere.

Periculi
Etymon.
Significat
vim majorem.

I. **P**ericulum in genere nihil aliud esse videtur, quam damnū casuale, imminens homini vel rei. Dicitur à pereundo, etsi secus videtur Vossio in Etymologico. In usu juris, periculum ut plurimū significat casum fatalem, ἢ βίαν, vim majorem, l.25.

l.25. §.6. locat. quam humanum consilium prævidere non potest, cui infirmitas humana resistere nequit. l.2. §.7. ff. de Ad m. rer. ad civit. pert. l.1. §.4. ff. de O. & A. l.28. C. loc. Casus & Fortuna l.1. §. si magistratus 11. ff. de magistrat. conven. Uti sunt tempestates, grandines, procellæ, sterilitates, aquarum magnitudines, terræ motus, naufragium, ruina, terræ labes, chasma, id est, hiatus terræ, & similia, per metonymiam causæ: Sunt enim potius causæ periculorum & calamitatum, quàm periculum ipsum. Huc refert Ulpianus in l.15. §.2 ff. Locat. Vim Graculorum & Sturnorum: ubi graculos intelligunt nonnulli picas glandularias, quas *μαλακροκρανέας*, quod molli sint capite, Græci dixerunt. Sed perperam, observante Cujacio *observ. lib.15. c.28.* verba ita sunt: *Apparet Graculos gregatim volitare, ut Aratus ait: Φύλακροισῶν, Φαιόμυροι ἀγελήδα. Nec igitur esse μαλακροκρανέας qui non sunt συναγελαστικοί.* Quod idem Bellonius Ornithologiae lib.6. c.7. & Scaliger contra Cardanum Exercitatione 222. animadverterat. Corvis non absimiles fuisse, docet Suidas, in *ἰσκόρονας*, unde & nomen Graculi. vid. Quintilianum in lib.1. inst. c.6. Antigonus Carystius historiae commentitiæ c. ult. narrat; Theopompum scripsisse, Venetos, qui ad Adriam incolunt circa tempus sationis dona Graculis mittere, liba & pastam. Id ipsum refert & Aelianus lib.17. de animal. c.16. Ibi addit Graculos, si pastam objectam comederint, tum demum se pacem & fœdus cum Venetis habere. Sin contemserint Graculi, persuasum haberi Venetis famem hoc ipso ominari atque tum in segetes involare, & acerbè semina prædari. Quod ipsum illustrat d. l.15. vid. plura apud Aegidium Menagium c.38.

Graculi
quod gen⁹
avium.

Veneti
Graculis
libant.

II. Similiter nomine periculi veniunt, quæ sine facto nostro nobis contingunt damna, ex natura rei, ut sunt animalium casus, id est, morbi, vitia, mortesque l.23. de R. I.

Et damna
natura rei
existentia.

III. Vel malitia hominum, ut fuga servorum, qui custodiri non solent d. l.23. Nam custodiri illi solebant, sed & debebant, quoque ab eo, qui ad restitutionem obligatus erat, uti in l.21. l.36. §.1. ff. de R. V. puta si vinctus commodatus sit, vincula enim argumenta erant fugæ, & sic custodiae adhibendæ legem tacitè injungebant. l.48. §.4. ff. de Ed. ed. vel ejus ætatis ut custodia

Vel mori-
bus.
Servi olim
custodiri
solebant.

stodia indigeret l. 5. §. 6 ff. Com. Huc pertinet & Rapina, quoties res per vim externam, quæ evitari non potest, eripitur. Tumultus, incendium, impetus latronum, incurtus prædonum, d. l. 23. de R. I. piratica, hostium incurtio, & similia.

Periculi
vox infam-
osâ si-
gnificatio-
ne quid
notet.

IV. Propriè tamen in jure periculum à casu majore fortuitoque distinguitur, ita ut periculum versetur circa id, quod ex natura contractus præstandum est, cujus causa aliquis, qui obligatus periclitatur, & quod præstare ex obligatione tenetur. Quo sensu res aliena nostro periculo esse dicitur, l. l. l. certum 13. §. item certum ff. de lib. caus. Res commodatæ, locatæ accipientium d. l. 13. Recepta nautæ l. 4. §. 2. Naut. caup. stab. Res aliena conductoris, pignus creditoris periculo esse dicitur l. 14. §. 16. ff. de furt. Sic periculum dotis æstimatæ ad maritum pertinet. l. 10. Pr. ff. de jure dot. Empti ad emptorem si sit ad mensum, l. 35. §. 5. ff. de contra em. annumeratum, §. 7. d. l. appentum, l. 38. §. 5. d. l. a versione emptum, l. 62. §. 2. d. l. Interitus ad debitorem, l. 82. §. 1. in fin. de V. O. Rei in contractu Do, ut des ad eum, qui rem recipere debet l. 5. §. 1. in fin. ff. de præscript. verb. Et ut summatim dicam significat μετῶνυμικῶς damnum futurum rei, ad quam salvam præstandam aliquis obligatur ex negotii natura. Quod triplex est: Rei pereuntis, deterioratæ, evictæ. Et differt à casu majori, fatali, fortuito, quem ex negotii natura nemo tenetur præstare. L. qua fortuitis 6. C. de pign. act. l. 23. f. de R. I.

In l. 5. de
N. F. quo-
modo ac-
cipiatur.
Hotoman-
reprobatur

V. In casu autem nostræ legis dubitari possit, quo sensu periculum accipiatur, cujus pretium debetur. Et quamvis Hotomannus in Comment. ad Tit. de Nautico fœn. putet, periculum de solo naufragio in trajectitia pecunia intelligi oportere: secus tamen res habet, ut omne illud damnum veniat, quod stipulatione vel pacto in se se quis recipit, sive ex vi majore, sive casu aut facto hominis, puta, dolo aut culpa Nauclerorum, Nautarum, vel aliorum navi bonisque incumbat, ut ex ipso textu nostro apparet.

An jactus
nomine
periculi?

VI. Quid verò de jactu habendum? An de hoc quoque tenetur assecurator? non videtur: Neque enim inter casus fortuitos censendus is jactus est, quo nec totum creditum, neque invito debitori perit, & per contributionem eorum, quorum res salvæ manserunt, indemnis quadantenus debitor evadit.

VII. Pe-

VII. Periculum autem hoc incipit ab eo tempore, quo Periculi
 merces assecuratæ ad navalia aut Scaphas, unde navi inferuntur, præstatio à
 adductæ sunt, & durat eousque, donec in portum devenerint. quo tem-
 Inde ad summum intra XV. dies à mercatore exonerari debent: pore inci-
 Si verò periculum susceptum sit de portu in portum, nulla men- pit.
 tione facta de bonis in terra exponendis, tunc præstari incipit
 cum bona navi illata, & finitur ea in portum delata, ibi per xxiv.
 horas salva manente. *Ord. Phil. II. art. 13.*

CAPUT III.

*De definitione & divisione pretii pro
 periculo.*

I. **P**ost significationem vocum expositam sequitur, ut peri- Definitio
 culi pretium definiamus, quod est quantitas conventa, illi pretii pro
 debita, qui alterius damnum fatale, pacto vel stipulatione in sese periculo.
 avertit. Doctores nostri pretium duplex facere solent, aliud ve- Divisio
 rum, aliud conventum. Verum est, quanti communi æstimatio- vulgaris.
 ne in foro res valet. *l. mortis 18. §. 3. ff. de mortis. Cau. don. l. si ser-
 vus 14. in f. pr. ff. de cond. furt. Mantica de Tac. §. amb conv. lib. 4.
 l. 63. ad l. falc. & ibi Br. & Alexander Wehner. obs. pr. inver.
 Anschlag der Güter. vid. Dinnerum tr. de iusto rerum pret. qu. 2.
 num. 4.* Conventum vel generale vel speciale dici potest, illo
 sensu omne est conventum. Cùm & illud quod Dd. *verum* vo-
 cant, non aliunde quam si mensuram & regulam sumit ex com-
 muni hominum æstimatione, pretium justum esse censeatur.
 Hoc alio nomine dicitur singulare, de quo inter singulos conve-
 nitur, quod & formale vocatur *l. 62. in f. ff. ad L. Falcid.* quan-
 quam & illud singulare sit, quod Magistratus ex officio consti-
 tuit, dum annonæ flagellatores retundit, quod statutarium voca-
 ri posset.

II. In genere pretium *conventum* est, quod voluntate Pretium
 contrahentium statuitur *l. 8. C. de rescindenda vend.* in quo natu- Conventū
 raliter circūscribere contrahentibus permissum *l. in causa 16. §. 6. quid?*

B

ff. de min.



Naturaliter contra-
 hentibus se
 circumve-
 nire licere,
 quomodo
 capiendū.

ff. de min. l. idem § 22. §. ult. ff. Locat. cont. Quid verò naturaliter licere ibi significet, variè à Dd. exponitur, vid. Ant. de Padilla *in l. 2. C. de rescind. vend.* A. Merendam *l. 2. c. 32. num. 9.* Virum Maximum DN. STRAUCHIM, Academiae nostrae sidus perennans, in Lexico Particularum voce *Naturaliter*. Dicam, naturaliter licere, non notari idem atque *lege naturali iustum esse*, sed naturae hominum, seu appetitui humanae naturae omnium gentium moribus *indulgeri*; Ut quod pluris est minoris emi, quod minoris, pluris vendi liceat. Indulgetur, inquam, propter incertitudinem & varietatem mediis & aequalitatis, quae intercedit inter lucrum & damnum, quae aequalitas vix ad punctum investigari potest, ideò permittitur in legibus aliquod lucellum. Et ut Aristoteles *v. Ethic. ad Nicom. cap. 7.* ait: *ἐν τῷ πολεῖν καὶ ἀνίστασθαι ἀδειαν ἔδωκεν ὁ νόμος*, id Paraphraustes reddit, antiquissimus, ad finem *cap. V. ἐν τοῖς ἐμπορίαις συναλλαγμασι*, (qualis emtio & venditio) *ἡ ἐμπορία ἔτε ἐν ἑνὲν τῶν γὰρ ἀδειαν ἔδωκεν ὁ νόμος*. Id est, in spontaneis *συναλλαγμασι* Lucrum non iniustum est, neque corrigitur, quia nimirum lex permisit. Et alioquin futurum esset, ut nemo unquam securus rei ex commercio comparata foret, omnesque contractus, quibus pecunia pro re intervenit rescindi possent. Idque vult Justinianus, quando *ἐμπορίας* ita fieri, ait, ex usu & profectu commerciorum, quae aliter vix subsistent. Debet autem circumscriptio in re ipsa esse, non in proposito & *προαίρεσι* sine animo dolosè fallendi atque fraudandi, id quod expressè subjicit Hermogenianus *l. seq. 23. ff. loc.* ubi infert, quia contrahentibus se licet circumscribere, ideò praetextu minoris pensionis locatione facta, *si nullus dolus Adversarii probari possit*, rescindi locationem non posse. Confer Duaren. *c. 1. ff. de dolo malo pr.* A. Fab. *Err. Prag. Dec. 9. Err. 2.* Pinell. *de resc. vend. part. 1. c. 1. n. 39.* Radul. *Forner. lib. 6. rer. quotid. c. 20.* Myning. *cent. 6. Obs. 38. n. 5.*

In quibus
 contracti-
 bus pericu-
 lum pretio
 praestetur.

III. Videamus jam de contractibus, qui pretium periculi suscipiunt. Et Scævola in lege ad interpretandum nobis proposita, agit de pecunia credita, quae duplex, trajectitia seu maritima, & mediterranea, quae nomina à commercio & negotiationis discrimine petuntur, cui creditum ex mutuo destinatur.

CAPUT

CAPUT IV.

De pecunia trajectitia.

I. **D**ari autem pecuniam quandam creditam, quæ traje- Pecunia
ctitia audiat, docemur l. 1. ff. *Et passim de nautico fœn. l. 13. trajectitia*
ff. de N. G. l. 2. §. 8. de eo, quod cert. loc. l. 3. §. 8. ff. de pecul. Eadem & quid?
Nautica l. 3. ff. *de fœn Naut. l. 122. §. 1. de V. O. appellatur. Quam*
Ictus in l. 1. ff. *de naut. fœn.* dicit pecuniam, quæ trans mare ve-
hitur. Quemadmodum enim vectores trajici dicuntur, qui in
aliud litus exponuntur l. 3. ff. *Naut. Camp. Stab.* Eodem modo tra-
jici & pecunia dicitur, quæ trans mare exportatur l. 9. §. 4. ff. *ad*
L. Jul. pecul. L. Tutores. 39. §. Patruus 8. de adm. tut. Sed hoc non
sufficit ad naturam trajectitiæ, pernoscendam. Neque enim
omnis pecunia, quæ trans mare navigat trajectitia est, sed oportet,
ut sit credita, & denique ut data sit ad negotiationem mari-
timam exercendam. Creditam esse seu mutuodatum oportet.
Versatur enim hoc negotium Creditorem inter & debitorem &
propterea datur, ut per hanc pecuniam in creditum eatur, ut lo-
quitur Paulus l. 2. §. 1. ff. *si cert. Pet. & ex meo fiat tuum.*

II. Porro pecuniæ trajectitiæ proprium est, ut propter Trajecti-
maris periculum incerrumque navigationis, majus quoque lice- tiæ affectio
at fœnus pacisci, vel stipulari augmentum sortis seu accessionem propria.
majorem, & jure antiquo immensum & infinitum, ut ait Pau-
lus *lib. sentent. 2. tit. 14.* Sed Justinianus ad modum Centesimæ
illud redegit l. 26. §. *pen. C. de Usur. Nov. 106 & Nov. 110.* Neque
ab æquitate naturali alienum erat, quia ob periculi maritimi gra- Ejus æqui-
vitatem & incertitudinem majoris mercedis pactio non possit. ras.
iniqua videri. l. *qui mercedem 40. l. 8. si quis domum 9. §. Julianus 2.*
ff. *Loc.* Cùm pactum plerumque pretii pars sit l. *fundi 79. ff. de*
contr. emt. l. si sterilis 21. §. pen. ff. de act. emt. Et novum non sit, ut
cujus periculo pecunia credita est, ei & usuræ cedant. l. *idemq. 10.*
§. *Si mandavero 8. ff. mandat. l. sinus 67. §. si unus 1. ff. pro socio.*

III. Utrum autem ad substantiam pecuniæ trajectitiæ An de sub-
requiratur, ut creditor periculum crediti in se recipiat dubito. stantia
trajectitiæ

quod cre-
ditoris pe-
riculo sit.

Sanè id vulgò traditur. Sed Scævolaë nostri auctoritas admittere non videtur in l. 4. ff. H. T. ubi disertè statuitur, trajectitiam pecuniam, etiam sine periculo creditoris accipi posse, id quod confirmat l. 2. C. de N. F. Quo casu majus legitimis usuris fœnus deberi negant, post J. C. tos Imperatores in d. l. 2. C. N. F. Ergò ea conditione accipi mutuum potest, ut periculum non sit creditoris, atque ubi cum creditoris periculo pecunia trajectitia accepta est, ibi plus centesimis usuris instipulationem deduci poterat.

Assicura-
tio.

IV. Id verò si fiat ob periculi aversionem, neque usura, neque fœnus Nauticum est, sed *periculi pretium*. Quæ periculi pro certo pretio aversio in foro mercatorio asscuratio dicitur. Beneventus Stracha tr. de asscurationibus in *introductione* 8. ait, & aversionem simpliciter dici pro asscuratione, in quo falli eum puto, aversione enim emere, conducere, est *ex óuá d* emere, conducere, quando res multæ simul una venditione, locatione, acervatim, uno pretio mercede vé durch den Bogen/überhaupt/ transferuntur.

CAPUT V.

De differentia inter usuram, fœnus, & periculorum pretium.

Fœnus.

I. **D**ifferunt itaque fœnus Nauticum & pretium periculi; quòd fœnus stipulari licet in sola pecunia trajectitia, periculi pretium etiam in pecunia mediterranea. Deinde fœnus est lucrum, quòd accedit ad sortem mutuò acceptam ex conventionem. Periculi verò pretium non est lucrum, sed indemnitate præstitæ merces, & æquivalens retributio, functionem pro utilitate pecuniæ interversæ & suscepti periculi recipiens. Fœnus stipulari licet, etsi periculum sortis Creditor in se non recipiat: Pretium verò pro periculo averso non debetur, nisi periculum creditor in se recipit. Mediterraneum fœnus olim poterat usque ad usuram centesimam excurrere, hodiè intra trientis usuras, si personæ illustres fœnus exercent, consistit, intra
Belles

Besses si negotiatores, intra semisses si cæteri. Maritimum autem fœnus centesimam egredi non potest *l. 26. §. super. C. de usur.* Periculi pretium modum & finem pro periculi modo sumit.

II. Porrò dicitur centesima usura, quæ in singulos menses efficit partem centesimam sortis, & spatio centum mensium seu octo annis cum quatuor mensibus sortem exæquat. Dicitur & legitima, non quod reliquæ usuræ minus sint legitimæ, sed quod lege antiqua vetitum sit, ne ullum fœnus mediterraneum hunc modum egrederetur. Dicitur & As usurarius, quòd singulis annis in centenos aureos fœnoris nomine efficiat aureos duodecim, uti As duodecim unciis conficitur, vel quod tanquam usura maxima Totius s. assis vicem obtinuit. Unde & ad ejus usuræ modum minores computantur, veluti usura *unciaria*, quæ in annos singulos nnum aureum, usura *sextans*, quæ duos, *quadrans*, quæ tres, *triens*, quæ quatuor, *quicunx*, quæ quinque, & sic de aliis usque ad deunces tribuit, ut rectè Alexander Chassaneus.

Centesima usura.

Legitima.

As usurarius.

CAPUT VI.

Explicatur l. 5. ff. de Naut. Fœn.

I. **H**is ita præmissis, accedam ad explicationem vexatissimæ *l. 5. ff. de N. F.* quam, ut Illustris noster STRAUCHIUS, Jurisprudentiæ ac Germaniæ Decus æternum, Mæcenas ac Doctor meus æterno venerationis ac observantiæ cultu prosequendus; ait, in aureis *Dissert. Justin. 18. Aph. 18.* intelligendo fecerunt interpretes, ut minus intelligatur. Verba ita habent:

Scævola lib. 6. Responsorum.

Periculi pretium est, & si, conditione quamvis pœnali non existente, recepturus sis, quod dederis, & insuper aliquid præter pecuniam, si modo in aleæ speciem non cadat, veluti ea, ex quibus conditiones nasci solent, ut si manumittas: si non illud facias; si non convaluero. Nec dubitabis, si piscatori erogaturo in apparatus plurimū pecuniæ dederim, ut si cepisset, redderet:

B 3

Et

Et athletæ, unde se exhiberet, exerceretque, ut si vicisset, redderet. In his autem omnibus & pactum sine stipulatione ad augendam obligationem prodest.

Basilica exhibente Cujacio 9. obs. 28.

ita verterant:

Δανείζων δύναμαι συμφωνεῖν λαβεῖν ὃ δέδωκα σὺν ἐτέροι προσότησι
 ὡσαυτὲ τμήμα ἔκινδύνε, μόνον μὲν τοῖ μὴ ὀπί κόντιω, ἀλλὰ ἔξ
 ὧν ἀρμόζει condictitios, τυχόν, ἵνα μὴ ἐλευθερώσῃς, ἵνα μὴ τ'δε
 ποιήσῃς εἰάν μὴ ὑγανῶ, ἢ τὰ λοιπὰ ἢ εἰάν χορηγήσω ἀλλοῖ εἰς ᾧρα-
 κευῆν ἵνα εἰάν ἀλιέυσῃ, ᾧρα γῆ ἢ ἀθλητῆ ὀπί τῶ ἑαυτὸν θρέψαι, ἢ
 γυμνάσιον, καὶ εἰάν νικήσῃ σποδῶ ὀπί τῆταν γ' τ' πάκτον, καὶ χωρὶς
 ἐπερωτήσεως ἀλαπύνη τὴν ἐνοχλῶ.

ΚΑΤΑ ΠΟ' ΔΑ.

Mutuò dans possum convenire, ut accipiam quod dedi cum alia quantitate, quasi quoddam pretium periculi, modò ne tanquam in aleam, sed in ea, ex quibus competit condictio, fortè, si non manu mittas, si non hoc facias, si non convaluero, & reliqua, aut si sumtum præbeo piscatori vel athletæ in apparatus, ut si ceperit, præbeat, si vicerit, reddat, in his enim pactum sine stipulatione extendit actionem.

Sequitur Paraphrasis.

Verba Legis.
 Periculi pretium est & Si condicione quamvis pœnali non existente recepturus sit quod dederis, & in super ali-

Præcesserat procul dubio apud Scævolum de periculi pretio, quòd stipulari liceat in pecunia trajectitia: Cui per modum ampliacionis subjicit sequentia: Est etiam periculi pretium in pecunia non trajectitia, si scilicet recepturus sis tantundem, quod dederis, & insuper aliquid ultra id quod dederis. Neque enim necessarium est ad hoc, ut plus recipias quam dederis, pœnam stipulari, sed consequi hoc potes, quamvis non existente condicione pœnali, quamvis nulla pœnali stipulatione adjecta, propter casum periculi in te receptum: Id est, plus licet stipulari, quàm datum est, etsi nulla adjecta sit pœnæ stipulatio. Non n. per solam pœnalem stipulationem plus dato recipere potest: Sed & ob periculi pretium. Igitur, ut plus recipias quàm dede-



dederis, non solum fit pœnæ stipulatione, v. g. Do tibi decem, ut quid præ-
 iudicio me defendas, si non defenderis, reddas viginti accepta. ter pecuni-
 Sed imò plus recipere etiam potes, quam dederas, si stipulabe- am.
 ris pro periculi pretio absque pœna. Sed oportet, ut negotium Si modò in
 non cadat in speciem aleæ. Cadit in speciem aleæ id, super quo aleæ speci-
 quis contrahit, ut in eventum improsperum id perdat, sine spe em non
 recipiendi aliquid contra, v. g. dabo tibi pro eo, quod hoc jactu cadat.
 retis capturus es, viginti, hic si nihil capies, nihil restituis, & da-
 mnum est solius dantis. Est enim alea solius spei emptio vel sti- Alea quid?
 pulatio. l. 8. §. 1. ff. de contra. emt. Cùm captum piscium, avium,
 missilium emo; junge l. 7 ff. de hered. vel. act. vend. ubi aleam in
 venatione exempliat J. Crus. Nempe, quando indaginem, pla-
 gis positus à venatore, vel Pantheram ab aucupe emam. Ubi
 Panthera est nomen retis, quo omne genus minutarum avium
 capitur, non universa venatio, ut perperam Gotofredus in l. 11. ff.
 de act. emt. Hæc emta spes, si decollat, pretium perditum est,
 at in periculi pretio emergens quidem periculum etiam ex solius
 dantis. Sed eventu prospero existente non solum recipis quod
 dederas, sed plus ultra etiam. V. g. Periculi pretium est, si tibi
 dem mutuò centum ad rem metallicam exercendam hæc lege,
 ut si nihil lucratus fueris perdam quod dederim, si vena divi-
 te laboraveris, dimidium sit meum.

Contra in aleæ speciem non cadit negotium, ex quo con- Veluti ea,
 dictio nascitur. Ut, si manu mittas: Do tibi decem, sive ne ex quibus
 manu mittas, sive ut manu mittas Stichum intra Calendas pro- condictio-
 ximas. Tu manu misisti vel non manu misisti: Non cadit in nes nasci
 speciem aleæ conventio. Datur enim ex hoc negotio condictio solent. Ut
 ob causam dati. Ex alea non datur. Eadem ratio est & in se- si manu
 quenti casu, si non illud facias. Fac, Titium sempronio dare de- mittas, si
 cem, si Romam eat vel non eat. Sempronius non paret, datur illud non
 condictio. Idem est, si non convaluero. Nimirum, do tibi cen- facias, si
 tum, si non convaluero. Est donatio mortis causa, si non con- nunquam
 valuero, Tua sunt centum: Sin convaluero, datur condictio. valuero,
 Non est alea. Quid enim in alea condicas, ubi datum omninò &c.
 spe fallente perditum est? Satis dictum de eo, quod in aleam
 cadit, & quod non cadit. Videamus jam de aliis speciebus. Et
 sanè

Nec dubi- sanè non est dubitandum, si piscatori erogato in apparatus plurimum pecuniæ dederim, putà piscatori Hollando ad captu- ram Hærengarum, vel Hamburgensi ad capturam balænarum, ut si cepisset, redderet pecuniam cum augmento acceptam, si nihil, ego perderem. Subest periculum perdendæ pecuniæ, quod debitori incumberebat, sed ego creditor in me suscipio. Non emi jactum, non aleam. Sed prorogatum est in apparatus piscaturæ. Piscator non vendit incertum jactus, sed eventu pto spero reddit

Et athletæ creditum, capturâ irritâ nihil. Similiter si athletæ dederis, unde se se exhibeat exerceatque, ut si vicisset, redderet. Quid verò est ex- hiberet, ex- erceretque ut si vicif- set, redde- ret.

Quid sit exhibere? sed nutrire, alere, saginare. Ita accipitur l. 60. §. 3 ff. mand. l. 17. pr. de dol. except. l. 1. §. 2. de off. pref. urb. l. 34. vers. quid enim de N. G. l. 1. §. 6 de tut. §. rat. distr. l. 24. §. 2. ff. sol. matri l. 1. §. 8. de Exerc. act. Sic exhibitio pro alimentis l. 26. §. ult. ff. Quand. d. l. ced. l. 60. §. 3. ff. mand. l. 18. §. 7. in f. ff. de instr. leg. Athletæ certo quodam vi- ctu utebantur ac necessario, ad comparandas vires, firmitatemq;

corporis. Quem victum athleticū Aristoteles ἀναγκοφαγίαν vo- cat in Politicis. Dicebatur & ξηροφαγία; ξηρογιν τροφὴ & πέρ- ραν Lucianus vocat. Dicebant & κωληπία, Latinis Colepia, ἀ κώ- λιφ, κώλιπ, unde diminutivè κωλήπιον, Juvenalis, comedunt Co- lepia pauca, id est, paucæ pugilatum & athleticam exercent. Mar- tialis de muliere pugile: Et colepia sexdecim comedit. Erant autem Colepia, bubala & suilla, athletarum saginæ. Qui ergò athletæ pecuniam præstabant ad se exhibendum, nec non ad sese exer- cendum, hâc lege, ut, si vicisset, redderet, periculum pecuniæ per- dendæ suscipiebant hoc pretio, ut athleta, si vicisset, redderet. De Exercitationibus istis videantur P. Fabii agonistica l. 3. cap. 5. Hiron. Mercurialis, & Salmasius ad Solinum.

II. Hæc itaque vera est paraphrasis legis nostræ, in qua nihil mutatur in textu, quod tamen omnes, qui ei explicandæ incubuere fecerunt, nisi quod pro, conditione, legamus conditio- ne. Quæ voces etiam alibi, & quidem sæpissimè à librariis com- mutatæ reperiuntur, teste summo Jcto Cujacio, in recitationi- ad hunc locum. Quæ lectio insuper confirmatur expressè per Basilica, ibi ἐξ ἧν ἀερόζει, condititios. Sic glossæ juris veteris græcæ. κοιδικτίκι ἀπαίτησις.

III. Vi-

III. Videamus jam difficultates, quæ hanc legem ob- Difficulta-
tes legis
nostræ.
scuram adeò reddiderunt, ut Emplastra non minus undecim
Hotomannus animo emendandi loco satis sano applicare tenta-
verit. *Prima* difficultas inde est: Quemadmodum in Nautica
pecunia periculi pretium exigi dicitur conditione, (ita enim le-
gitur) existente, nempe nave salvâ *l. nihil. 4. l. fœnerator 6. ff. h. t.*
Amisâ autem nave conditio defecisse intelligitur, & pro lucro
damnum creditori incubare: Ita in piscatore & athleta preti-
um exigitur similiter conditione existente, id est, si piscator ce-
perit, athleta vicerit. Atqui in hoc textu contrarium tradi vide-
tur, mercedem periculi suscepti locum habere conditione
non existente, si nihil capiatur, si non vicerit. Hoc unum est,
quod legem dubiam fecit & obscuram. Ideò Baro *in lib. Ma-
nual.* tollit negationem, quod & Hotomannus facit, dum nega-
tivam antrorsum trahit, legens; Periculi pretium non est: Ra-
tionem reddit, quod res ita agatur in hoc negotio, ut existente
conditione recipiam cum usuris, non existente nihil. Cujacius
ad tollendam hanc dubitationem, ordinem verborum; *quam-
vis pœnali non existente*, transponit rescribendo, *quamvis non pœ-
nali existente*. Sed res eodem recidit, sive negativam voci *pœna-
li*, sive verbo, *existente*, præmittas; Quare nihil muto sensu ad-
modum sano & plano, hoc modo: *Periculi quoq; in eo locum ha-
bet pretium, si non adjecta sit pœna; si conditio adjecta obligationi pre-
tium non sit pœnalis?* Qualis nec in hac specie esse potest. Quia o-
mnis pœnæ stipulatio fit ad excludendam moram, hic autem
non stipulor ob moram mihi mercedem, sed ob periculum susce-
ptum. Igitur pretium suscepti periculi exigitur, etiam quando
infligendæ pœnæ nulla causa sit. Et ita tollitur quoque *alia*
hujus legis difficultas, quâ hæc conditio appellatur pœnalis.
Cum enim pœna ob moram infligitur, nempe si pecunia so-
luta non sit, pretium hoc non ob moram sed ob aversionem
periculi petitur. Igitur pretium hoc non est pœna, eoque mi-
nus pœnæ speciem habere potest, quando conditio fœnerati-
tia non pœnalis existit. Sed advertendum, quod conditio
nō pœnalis existere significatur, quando nulla pœnalis conditio
sit adjecta, nulla interposita sit. C
stere

stere intelligunt, pro, non adjectam esse, sed deficere: Sensus legis est: *Periculi pretium est, utut nulla ad augmentum ultra creditam sortem recipiendum, pœnalis conditio interuenerit.* Corrector es ita: *Periculi pretium est, quamvis conditio adjecta pœna non evenerit, non secuta fuerit.* In quo maximè falluntur. Pretium enim exigi dicitur, etsi de eroganda pœna ne verbum quidem factum. *Tertia* difficultas est, quæ additur à Scævola, si modò in aleæ speciem non cadat. Videtur enim secum ipse pugnare. Nam in fine ait, eam pecuniam admittere periculi pretium, ea lege, ut si cepisset, redderet. Atqui ea res aleæ speciem habere videtur. *d. l. nec emtio 8. ff. de contr. emt.* Salmasius itaque tractatu de modo usurarum 350. tollit negativam, quia ubi alea non sit, nec ullam esse eventus futuri incertitudinem, nullum periculum. Respondeo, fac aleam idem notare atque periculum in communi loquendi usu, tamen non dicit JCrus, nullum subesse periculum: Sed illud periculum non esse contractum aleæ. Aliud est, negotium subjacere periculosa aleæ; Aliud est; Negotium esse id, quod est contractus aleæ ipse, ut in paraphrasi nobis expositum. Quare non opus erat, ut variaret hoc loco Cujacius, qui in observationibus cum aleam legisset, in recitationibus solennibus legit *aliam*, quæ lectio vulgata est, nec displicuit Germaniæ nostræ Papiniano, Illustri DN. STRAUCHIO, in citatis Exercitationibus Justinianis. *Quarta* dubitatio est circa verba, *veluti ea, ex quibus conditio nasci solet.* Conditio latinè scientibus nasci non dicitur, imponi, ascribi, adjici, dari dicitur, nasci non dicitur. Nasci autem conditio rectè & usitato dicitur. Et ita legendum esse, autoritate Basilicorum evincitur. *Quinta* difficultas ex varietate lectionis, Florentinæ legunt, *quamvis* ab initio, vulgata, *quavis*, quod probat Hotomannus. Florentina lectio nobis retinenda, cum conveniens sit, nec quidquam habeat incommodi. Plura sunt, quæ Hotomannus sanando corrumpit, qui & particulam *Et*, in verbis, *etsi conditione*, tollit. Pro, *si manu mittas*, legit, *non manu mittas.* Sine causa; utro enim modo legas, si non paretur, pœnalis existit stipulatio. Pro, *nec dubi-*

dubitabis, reponit: *At nec dubitabis. Pro, erogaturo, scribitis erogavero.* Inde tollit verba, plurimum pecunia dederim. Denique in fine legis, verbis, *his autem*, tollit adversitativam. Ut videatur sub auctoritate Scævolaë, novam legem ex sese creare voluisse, quam Scævola tot viciis variegare. Et hæ correctiones ex nostra paraphrasi per se ruunt.

CAPUT VII.

De Credito mediterraneo.

I.

Constat ex his, periculi pretium tam ex pacto quam stipulatione deberi, & sive pecunia sit trajectitia seu maritima, sive ad negotiationem mediterraneam credita. Agamus itaque cum Scævola, de terrestri seu mediterraneo credito. Finge eunti Hamburgo ad nundinas Lipsienses & Francofurtenses mercium emendarum gratia, mutuò me dedisse centum, hac lege, ut periculum pecuniæ in itu & reditu esset meum, & ob id ipsum periculum communem usurarum modum stipulando excessisse. Quæritur utrum valeat? Et certè jus civile auctoritatem non defugiet. At quid Jure Canonico? Equidem Pontifex Gregorius IX. *c. Naviganti ult. X. de usur. Fratri R.* rescribit. *Naviganti vel eunti ad nundinas, certam pecuniæ quantitatem eo quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus: Quare? forsan, quia eunti ad nundinas, securitate publica cautum est, quam habent nundinæ, & ideò institutæ sunt, ut homines conveniant, quod profectò non facerent, si quid fortunarum vitæve periculum subeundum esset.* *l. un. C. de Nund. l. 4. C. de Commerc. & merc. Molin. de usur. qu. 3. n. 95. Pantzschman. in responso Weinb. quest. 1. num. 83. 219. & seqq.* Quid? quod etiam ad officium magistratus spectat, malis hominibus territorium purgare, ac dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularem

Casus mutui terrestri.
Casus periculi in pecunia terrestri.

Ratio dubitandi.



larium quietem, & ad referendum sibi quid in territorio agatur
l. 13. de off. Praef. l. 1. §. 12. ff. de Off. praef. urb. ibi Illustris ac
 celebris STRAUCHIUS, in dissertat. Academica *de centum*
lapidibus urbic. n. 4. & seqq. l. 2. §. 3. & 4. C. de off. Praef. Afri.
 Reichs-Abschied anni 1521. *Wormatia. Et anno 1559. Ratisbona*
 §. Wiewol in solchem. & S. Wofern aber die Nachenler. Quo-
 rum etiam militum vicem nudinis Lipsiensibus, Francofurtensibus,
 & similibus hodie funguntur stipendiarii, quos vulgò
 Aufreiter vocant, teste Joh. Köppen, *decis. 37. num. 2.* Item,
 qui in nemorosis vel aliis locis ad latruncolorum insidias op-
 portunis excubias agunt, vel mercatores comitantur, vulgò
 das Geleit. *l. 17. C. de erog. milit. annonæ lib. 12. t. 38.* Unde com-
 muni consensu inferunt Dd. Matth. Colerus *de process. execu-*
tiv. part. 1. cap. 1. num. 293. & seqq. ac decisione 189. Ubi ab addi-
 tionatore allegantur Mynsing. Geilius, Schueidevvinus, Kni-
 chius, quibus adjungendus & allegatus jam Köppen *dict. de-*
cis. 37. si quod damnum proficiscenti illatum sit, territorii Do-
 minum ad illud sarcendum teneri, maximè vectigalibus &
 pedagiis exactis. In quam sententiam Camera Imperialis con-
 tra Herbipolensem judicavit, teste Geilio 2. *observ. 64.* quo
 pertinet Jus Saxonicum *lib. 2. art. 27.* Wer Geleit giebet / der soll
 ihn vor Schaden bewahren / oder soll ihm den Schaden gelten.

II. Cessante ergò periculo hoc casu, uti usuraria pravi-
 tas exercebitur ab eo, qui quid ultra sortem stipulatus fuerit;
 Ita contra naturalem æquitatem esse videtur, ut ubi pericu-
 lum, ibi non sit emolumentum & commodum; Quare forsàn
 Librarius in describenda decretali Gregorii erravit, & ubi
 scribere debebat, *usurarius non est censendus*, scripsit, *Usu-*
rarius est censendus: Ita visum fuit celeberrimo quondam Jcto
 Fachineo. 2. *Controv. c. 47.* Quamvis mox mutet sententiam.
 Sed suadetur tamen cum ex verbis hujus decretalis, tum ratio-
 ne: *Ex verbis*: Quia statim sequitur *ille quoque qui dat X. solidos,*
non debet ex hoc usurarius reputari. Si quoq; non debet usurari-
 us reputari, annon videbitur evidenter vocolâ hâc implicati-
 va innuere, Pontifex nec primum creditorem usurarium cen-
 sendum

Mendum
 in d. cap.
 esse conji-
 citur

Et proba-
 tur.

sendum esse. *Ratione autem*, quoniam ubi dubium est, an is, qui mutuò dat, ultra sortem tempore solutionis recepturus sit aliquid, ibi justam & licitam esse usuram. Idem Pontifex in sequentibus duobus ejusdem capituli versiculis luculenter affirmat, ut & Alexander III. *cap. 6. eod. tit.* Atqui in hoc casu quo eunti ad nundinas, cum susceptione periculi credideris, maximè dubium est, an ultra sortem sis recepturus aliquid, cum fieri possit, ut & ipsam sortem perdas. Et si ponas, non subesse dubium, certè nec periculum esse effeceris, quasi certum & indubitatum esset, quo res sit evalura, periculi susceptio nulla esset. Quis enim periculum in se suscepturus esset creditor, si sciret rem certò perituram? Quis periculi pretium præstaturus, qui sciret indubitato rem omnis periculi expertem fore? Maximè ergò hic dubium subest. Quapropter necesse est, ut in priore specie non minus quam in posterioribus duabus contractum pro justo à Pontifice habitum fuisse statuas. Quam sententiam defendere mihi nunc quoque animus est.

III. Periculum autem perituræ pecuniæ creditæ, vel mercium pecuniâ credita emtarum, vel indefinitè in omne tempus itineris suscipiebatur, vel usque ad certum locum inque diem certum *l. 3. C. de Nautic. fœn. l. 4. 6. ff. cod. l. 122. §. 1. de V. O.* Dies autem propterea addebatur, quia non omne tempus navigationi vel profectioi commodum est, sed aliud alio periculo magis obnoxium. Quare creditoris maximè intererat, navigationem vel reditum quamprimum finire, ne mora temporis periculum magis immineret.

Dies præstationi periculi cur addit?

IV. Porrò diximus supra periculi pretium non ita, uti fœnus Nauticum ad finem centesimarum usurarum definitum, quando pro periculi gravitate excedere hunc modum liceat, quod autoritate J. Cri. Pauli *l. 2. sent. tit. de usuris* asserimus. Sed id videtur à Justiniano mutatum, centesimas præfigente. *Nov. 106.* Numquid verò suam ipse constitutionem in *Nov. 110.* re-fixit, restituta antiqua licentia, in quantas quis vellet usuras trajectitiam mutuam dare? Ita puto. Expressa enim sunt verba. *d. Nov. 110.* etsi aliis aliter videtur.

Justiniani varia legislatio.



Servus
 Κερμανο-
 λυθός.

V. Porro sciendum est, quod apud veteres in pecunia trajectitia in diem mutuò data fuit moris, ut creditor servum suum unà cum debitore mitteret, qui pecuniam à debitore peteret præstituto die, quo se soluturum promiserat. Servus is κερμανολυθός appellabatur. Docente Salamasio c. 9. de mod. usurar. Quo casu quia creditor operis servi sui carebat interim, dum is cum debitore navigaret, pœnam poterat in singulos dies stipulari creditor, si pecuniam die convento non solveret debitor. Sed hoc quod pro operis servi stipulabantur, centesimâ usuram non poterat excedere l. 4. §. 1. h. tit. Ita enim textus; pro operis servi trajectitia pecunia gratia secuti, quod in singulos dies in stipulatum deductum est ad finem centesimæ non ultra duplum debetur. Id est, si pœna præter usuras in stipulationem deducta est, & servi operas ea pœna non debet augere, seu excedere centesimam: Sed si quid desit centesimæ hâc pœnæ adjectione debet suppleri. Itaque fors & centesima usura ultra duplum, cujus simplum fors est, non potest excedere.

CAPUT VIII.

De Causa efficiente obligationis ad pretium periculi.

I.

Quæ sit
 cōventio-
 nis species
 Promissi
 periculo-
 rum pretii.

Visa satis, ni fallor, pretii hujus materiâ & formâ. Nunc quoque constituendi modus nobis excutiendus, & in quod genus conventionis incidat averfio periculi mediante pretio. Quo de interpretes diversas fovent opiniones; Alii contractum nominatum, innominatum alii sciscantes. Puto inter esse num quid hæc averfio periculi per se stet, an alii conventioni vel Synallagmati accedat? Si per se stat, v. g. suscipio navis periculum, ut discusso eo des centum, contractus erit innominatus. Facio, ut des. Potest & ultrò citroque facta stipulatio-
 ne vel

ne vel reciproca fieri hoc modo; Periculone tuo meam navem esse jubes? Jubeo: Si periculo meo navim tuam esse volo, dabis mihi centum? Dabo. Imò & pacto reciproco sed legitimo fieri posse non est dubium. Si verò alii accedit contractui in pactum abibit adjectum, uti: Do tibi mutuo centum, ut naufragio facto obligatione libereris, nave salva, sortem & plus augmenti loco restituas, sic & in aliis contractibus, ubi cunq̄ue periculum is subit, qui per juris rationem ei non erat obnoxius.

II. Affecurationis hujus formulam secundum hodiernum mercatorum stylum, ex Belgico in latinum à Loccenio versum, in gratiam lectoris & nos huc apponamus.

Formula
hodiè ufi-
rata affe-
curationi.

Nos subscripti promittimus & obligamus nos ad aver-
tendum periculum, vel (ut vulgò loquuntur) affecurandum,
velut affecuramus omnes & singuli tenore hujus Viris N. N.
ad summam mercium subjectam N. N. in corpus navis cum
tormentis suis, instrumentis, alioq̄ue apparatu, & huic ad-
hærentibus, pertinentiis ad N. N. vel alium. Navi nomen est
N. N. capax amphorarum N. N. cujus magister est N. N. Il-
lius periculum præstabimus ab hora & die, quo solverit dicta
navis, & appulerit cum tormentis, munitione, instrumentis,
& quæ iis annexa sunt, in portum N. N. (vel ut aliæ quædam
formulæ habent: Ab hora & die, quo prædictæ merces de-
portatæ sunt in portum N. N. vel navalia inferendi dictæ navi
causa, & durabit isthæc affecuratio, donec dictæ merces per-
venerint in portum N. N. & exoneratæ atq̄ue in salvo fuerint,
absq̄ue ullo detrimento & incommodo.) Nominatæ autem
navi licebit navigare prorsum, sursum, dextrorsum, lævorsum,
& ab omni latere, atqui ex necessitate vel sponte ingredi tales
portus, qui Nauclero & nautis commodi boniq̄ue videbun-
tur. Cavemus etiam vobis de omni periculo maris, tempe-
state, igni & vento, amicis, inimicis, arrestis & detentiõni-
bus à Rege, Principe, Republica quacunque faciendis de re-
pressaliis, de nequitia vel incuria naucleri & nautarum, ali-
isq̄ue casibus, quæ huic navi contingere possint, cogitatis vel

inco-

incogitatis, usitatis vel inusitatis, nullis & exceptis. Nos vestri loco constituimus, ad vos tutos præstandos ab omni damno & incommodo. Atque si prædictæ navi malum (quod DEUS avertat!) acciderit, obstringimus nos hoc ipso vobis vel vestris mandatariis ad omne detrimentum, quod passi estis resarciendum, nimirum singuli pro rata summæ nominatæ, tam primus quàm ultimus assecurator, idque intra proximum trimestre, ex quo, ut decet, certiores facti fuerimus de periculo & damno. In quo casu damus vobis & aliis omnibus plenam potestatem, tam ad damnum quàm lucrum nostrum vobis invicem suppetias ferendi, in servandâ prædicta navi, eique annexis, in onerando vel exonerando, in juvando, quibus opus fuerit, aut vendenda nave pretioque ejus distribuendo, si res ita postulet, absque expectatione nostri consensus & veniæ. Solvemus etiam expensas cum causa damni dati, si ve quid servatum fuerit, si ve minus, & de expensis factis fidem habebimus ei, qui illas fecit, ad præstitum ab ipso juramentum absque omni contradictione. Contenti etiam sumus, ut N. N. velut nobis fidem dedit, solvat nobis pretium, aversi periculi vel assecurationis, post tres proximè sequentes menses, nimirum septem (vel N. N.) pro centum; Ut verò omnis prolixitas evitetur, æquè æstimabimus, observabimusque hunc contractum assecurationis, atque si coram iudicibus esset factus; Et tam firmum ac ratum habebimus, atque si omnes in eo clausulæ ita essent formatæ, ut sibi quisquam eas imaginari possit, in vestrum commodum & nostrum detrimentum, omnia absque fraude & dolo &c. In rei fidem obligamus nostras personas & facultates, tam præsentis quàm futuras renuntiantes, ut honestos homines decet, omnibus cavillationibus & exceptionibus, quæ huic contractui adversæ esse possent, actum N. N.

Aliam assecurationis formulam exhibet Stracha *tr. de assecurat. pag. 19.* quem vide & Marquardus *de mercatura lib. 2. c. 13. n. 68.* Stypman *p. 140.* & ut semel dicam

III. In formando ejusmodi instrumento requiritur **Requisita**
I. Nomen assecurantis, addito plerumque loco domicilii ubi **hujus for-**
 habitet. Sed an nomine quoque ficto inserto valebit instru- **mulae.**
 mentum? Affirmat Stracha *cit. l. 7. n. 1.* Quoniam fit relatio
 ad literas onerarias; Quod plerumque solent Judæi merca-
 tores facere. Mentiuntur enim nomen Christiani, puta, Pauli, Jo-
 hannis, &c. propterea ne deprædentur naves à pyratis Chri-
 stianis, à quibus Judæorum, Turcarumque merces diripi so-
 lent. **II.** Apponitur nomen nautæ v. g. Dar meister von iss
 N. N. von N. **III.** Nomen navis v. g. int schib St. Jonas,
 cujus effectus hic est, ut si assecuratio super certa navi facta,
 mercibus postea in aliam coniectis, non teneat assecuratio,
 nisi adjecto pacto, ut navim mutare liceat. Stracha *gl. 8.*
IV. Nomen loci ubi navis oneratur, Port/Hafen/oder Reyde
 von Lisabon. **V.** Nomen loci quo tendit, ut; von Seville
 nach Antwerpen / qui locus si non servatur tollitur obliga-
 tio ob dolum. Leon. *Consil. 23. n. 5. 6.* **VI.** Designatio mer-
 cium. **VII.** Nomen assecurati, ad quem merx pertinet. **VIII.**
 Exprimitur tempus, ex quo assecuratio & incipit & finit.
IX. Additur liber cursus navis, ut in libera potestate sit ma-
 gistri navis. **X.** Adjicitur susceptio periculi, sive in genere
 sive in specie, sive in totum, sive sub certo modo. **XI.** Fit
 conventio super quantitate & numeratione pretii. **XII.** Sub-
 scribunt assecuratores sua nomina, cum designatione quan-
 titatis, quousque in se periculum suscipere voluerunt. **XIII.**
 Adjici solet factam esse assecurationem secundum stylum & ob-
 servationem fori.

CAPUT IX.

Qui pretium periculi stipulari & solvere possunt.

I. **Q**uæritur, an hic contractus cum quolibet homine, à
 quovis celebrari possit? Et generaliter dicendum est,
 D cum

Prohiben-
tur Cleri-
ci

Casus ex-
cepti.

Miles ar-
matu.

cum commerciorum exercitium sit ex genere licitorum, quos prohibitos disertè non invenimus, omnibus id licere. Ergò quibus licet cunque periculum ex negotio in se avertere, illis licebit & pretium stipulari. Prohibentur autem Clerici. Quia mercaturam facere prohibentur. *C. negotiatorem 9. c. fornicat. 10. Dist. 88.* Et quicumque in Clero esse voluerit, emendi vilius, & vendendi carius studio non utatur, quod si exerce- re voluerit, cohibeatur à Clero. *can. 3. caus. 14. quest. 4.* Nempe ita emere prohibentur, ut merces in sua formâ inte- gras vendant, quando difficile est in ejusmodi negotiationi- bus non intervenire peccatum *cap. Qualitas 2. caus. 33. quest. 3. Dist. 5. de pœnit.* Ideò & ea facere prohibentur, sine quibus mercatura commodè non exercetur. Imò hoc ipsum pericu- lum negotiationis in se recipere, pro pretio, commercium est & negotiatio. Cæterum victum & vestimenta sibi artificio vel agricultura absque tamen officii sui detrimento parare li- cet, *C. Clericus 3. dist. 91.* Hoc enim casu mercaturam non exercet, nec lucrum ex negotiatione, sed artificio acquirit, cum in mercatura lucrum ex solertia vilius emendi & carius vendendi proficiscatur. Limitat & in hoc casu prohibiti- onem hanc Salicetus, quando Clericus mercaturam materiam, ad reficiendam domum forte, vel ut in domo sacerdotii aut beneficii ædificaret, deinde ex probabili causa mutet consilium & tigna aut cæmenta, quæ emit carius vendat, quod secundum Salicetum Clericis non est interdictum *arg. l. si quis nec causam 4. ff. si cert. per. l. 1. §. unde quarit Osidius 9. ff. de Exercitat. Action. l. 1. §. Illud. 16. ff. de aq. quotid. §. estivo.* Adeò autem abstinere Clerici animabus consulere volentes, lucro debent, ut, quod ex commercio superlucrati sunt, pau- peribus erogare teneantur *Can. qui habilis. caus. 14. q. 5.* Verum non omnes capiunt verbum hoc.

II. Dictis consequens est, ut nec affecurare eis liceat, quod facere nequeunt, nisi negotiationi se immisceant, præ- fertim discussio periculo augmentum stipulati. Eadem pro- hibitio facta & militibus armatæ militiæ. *l. un. C. Neg. ne mil. lib.*

lib. 12. T. 35. l. milites, qui à Republ. 15. C. de re militari. ibi milites qui à republ. armantur & aluntur solis debent publicis utilitatibus invigilare nec agrorum cultui, & custodia animalium, vel mercimoniorum constitui, sed propriæ muniis insudare militiæ. Sed hanc abstinentiam secta nostrorum temporum non patitur.

III. Quid de Professoribus Academicis? Et puto quæ ratio arcet Clericos, eandem & Theologiæ Professores. De Jctis idem dixerim. Præterquam enim quod nomine Clericorum veniant, & ipsis etiam sanctissima civilis sapientia pretio mercatorio non est dehonestanda, ut censet Ulpianus l. 1. §. 5. ff. de variis & extra cogn. Idem de Medicis & Philosophis statuendum. Rectè itaque PHILIPPUS Landgravius Hassiæ Professoribus Academiæ Marpurgensis negotiari vetuit anno 1527. Kirchmannus disputat. de Republ. 13. lit. d. Quod tamen limitant, si ex causa dotis, v.g. aut hereditatis, in negotiationem incidant, vel si per alios id faciant, aut jus quæsitum habeant, ut de quibusdam Academiis refert Cothman. consil. 21. n. 4. Quamvis si id admittatur, ut per alios fieri possit, vix est ut milites, Clericos, Theologos inde arcere queas.

IV. Quid de minore? si curatorem non habeat, in rebus mobilibus quæ servando servari possunt, liberam distrahendi potestatem non habet sine decreto Magistratus, secus in rebus tempore perituris, vid. Bart. in l. si ex legari ff. de V. O. Ergò nec periculum in se suscipere potest, & latus habet restitutionem in integrum. Si curatorem habet, sine ejus auctoritate negotium contractum ipso jure nullum est. l. si Curator 3. C. de rest. in integr. An Christianos inter & Judæos mercatores commercia licita? Regulariter ita sunt, vid. Marq. de Susan. tract. de Judæis part. 1 c. 5.

V. Porro asscurare non possunt nautæ mercatores, sed nec judices & Commissarii, litibus ex asscuratione ortis definiendis constituti, eorumque administri, Secretarii, Scribæ, Telonæ, Proxenetæ. Aurigæ quoque currus, carrosque suos & equos asscurare possunt, sed non aliter hodiè, nisi

nisi sub dimidietate pretii eorundem; Mercedem autem assecurare non possunt secund. *Ordin. Amster. art. 30. Et ibi Grotius fol. 152.*

An assecurans & præ sociis assecurati teneatur.

VI. Quæritur, si quis periculum avertens earum durat taxat rerum, quæ ad mercium Dominum seu assecuratum pertinent, promiserit, an & pro ejusdem sociorum mercibus spondisse censeatur? Pro parte & sociorum spondisse videtur *Santernæ part. 3 num. 58.* Ut enim assecurator nomine plurium obligat omnes in solidum. *Rota Genuens. decis. 29.* Ita & qui omnium ad aliquem spectantium mercium indemnitate in se recipit, pro omnibus cavisse censendus est, cum & id nostrum rectè appelletur, quod nobis cum aliis commune est. *l. 5. §. 2. ff. de leg. 1.*

CAPUT ULTIMUM.

De Circumstantiis assecurationis, tempore & loco.

I.

Tempus periculi præstandi.

DE tempore cum periculi suscipiendi, tum pretii petendi agendum nobis adhuc restat. Incipit periculum præstandum ab eo tempore, quo merces ad navalia, aut scaphas adductæ fuere, & durat eousque donec navis in portum devenit, ut navis exonerari illæis mereibus possit. *Ordin. Amsterod. art. 4.* Exonerari autem merces, ubi appulsæ sunt ad summum intra dies XV. oportet. Quod si verò assecuratio periculi de portu in portum facta sit, nulla mentione de bonis exonerandis facta, tunc incipit periculum præstari, ex quo bona navi illata, desinit autem, quando illa navis ad portum devenit, ibidemque salva per horas XXIV. constitit *Ordin. Phil. II. art. 13.* Quod si anno integro vertente à die instrumenti assecurationis suscepti de mercibus & navi nulla fiat

fiat certioratio, suscipiens periculum affecurator, tenetur pecuniam conventam solvere aut probare, omnia adhuc salva esse *Ordin. Amsterod. art. 5. Grotius fol. 154.* Et quidem affecuratores tenentur in continenti damno computato id refundere, sin minus affecuratis XII. in centum ab eo tempore quo damni æstimatio facta solvere.

II. Tempus affecurationem petendi, cui indemnitas navis & mercium repromissa, est trium mensium, siquidem per id & damnum rerum deperditarum probavit, quæ probatio auctori incumbit *l. 2. l. 18. §. 1. l. 21. ff. de probat. l. actor. 23. C. eod. Rota Genuensis decis. 3. per tot.* Tempus petendi pretium periculi quod attinet, aut illud conventionem partium non est definitum, & actio statim ex promisso nascitur, ut affecuratus quando libuerit affecuranti cogatur pretium solvere, quod mercatores vocant die præmie contant, vel, per valuta bezahsen. Multò magis dicendum hoc est, si ut statim solvatur, expressè convenit. *L. 1. §. 2. de V. O. l. 13. C. de pact. l. 7. §. 5. eod. l. 5. §. l. penult. C. de pact. inter Empt. & Vend.* Aut tempus est definitum, & illud observari debet.

Tempus exigendi affecurationem.

Tempus petendi periculi pretium.

III. Circa locum quæritur, an pretium periculi in diversis locis stipulari possis? Finge: Mercator Anconæ degens, navigaturus Alexandriam, mandavit amico, ut affecuratores quærat pro quinquies millibus. Mandatarius affecuratores conciliat, ignaro mandante, interim, dum & mandans mercium dominus, alios sibi ipse parat. Secuto naufragio, quæritur ab utris affecuratio exigi queat? Itemque salva navi utris affecuratorum periculi pretium debeatur? Et Beneventus Stracha censet primam affecurationem solam tenere, additâ ratione, quia contractus iste innominatus, judicandus sit secundum naturam contractus, cum quo symbolizat. At hanc esse emtionem venditionem. Ergò quemadmodum non nisi prima tenet emtio *lex quoties 15. C. de R V.* Ita contra primos affecuratores ad integra quinque millia agendum esse. At non satis firma est hæc ratio. Nam non cum sola emtione symbolizat affecuratio, sed cum pluribus

Locus.

D 3

aliis.

aliis. Et quod in emtionibus prima tantum valeat, ratio est, quia merx non nisi semel deberi, tradique potest: Quantitas autem pretii pluries. Igitur putem electionem actoris assecurati esse, utros convenire velit, & quod consecutus sit ab uno, in eo alteros liberari. Aliud autem esse in assecurante, navi salva, cum enim utriusque periculum susceperint, æquum quoque est, ut pretium uterque exigant.

Et hæc quidem hætenus pro ratione speciminis Academici sufficiant, plura ætas, usus, experientia, studium adjicient. Interim æquus Censor hoc Catione contentus esto.



Corol-



Corollaria.

I.

AN navis refecta eadem sit dicenda, quæ fuit ante refectiõnem? Aff. Carina eadem manente.

II.

An navi emta singula tabula emta censeantur, ita ut evictis earũ quibusdam, venditor evictionis nomine teneatur? N.

III.

In re nautica quis locator, quis conductor sit, dubitatur. Si dixeris, is, qui accipit mercedem & rem utendam dat, esse locatorem, jam magister navis & locator esse potest & conductor: Si dat navim, locator: Si mercedem pro mercibus vendendis accipit, conductor est, & utroq; tamen casu mercedem accipit: Dominus
verò

verò priori casu conductor est, posteriori locator, & utroq; tamen casu mercedem solvit magistro navis.

IV.

Retractus jus in navibus non habet locum.

V.

An magister navis in mercibus navi illatis hypothecam nanciscatur? N.

VI.

Qui pecuniam mutuam dedit in refectioem navis, tacitam habet hypothecam in navi.

Soli DEO Gloria.







ULB Halle


3

003 932 508



WMA







8500

1678,9

21

ADSISTENTE
UNICO SACROSANCTÆ & INDIVIDUÆ
TRINITATIS
PRÆSIDIO.
Ex Decreto & Auctoritate
Magnifici & Nobilissimi
JURISCONSULTORUM
IN ALMA GISSENSIUM UNIVERSITATE
COLLEGII.

HANC DE
PERICULI
PRETIO,

ad l. 5. ff. de Nautico Fœnore
CONSCRIPTAM DISSERTATIONEM
Pro LICENTIA
Summos in utroque Jure HONORES & PRIVILEGIA
DOCTORALIA ritè & legitimè capessendi,
Publica ac solenni
PROCERUM ACADEMICORUM CENSURÆ SUBMISSAM
Addièm XXV. Julii Ann. 1678.
IN AUGUSTO JURISCONSULTORUM AUDITORIO
Tuebitur
CAROLUS GUSTAVUS VEGESACK,
HAMBURGENSIS.

GISSÆ, ex OFFICINA Joh. Eberhardi Petri & Christ. Liebensteini.